


*[Faint handwritten text on the left edge of the left page]*



**I**  
Sade  
nis. A  
in pro  
Indu  
sempe  
habita  
lis




208



# IACOBI

Sadoleti. E. Carpent. Leo-  
 nis. X. Mont. Max. a secretis  
 in promulgatione generalium  
 Induciarum Oratio in beate  
 semper uirginis ad Adineruaz  
 habita decimo nono kl. Apri-  
 lis. Ad. d. xviii.





269

Iacobi Sadoleti • E • Carpent • Leonis • X • Pont •  
Max • a secretis in promulgatione generalium  
Induciarum Oratio in beate semper uirginis  
ad Mineruam habita decimonono Kal • Apri-  
lis Millesimo quingentesimo decimo octauo •



Qvod optauimus antea semper, & quoti-  
dianis uotis petere ac precari solebamus  
Leo summe Pont • Patres amplissimi le-  
gati uiriq; ornatissimi a Deo primum im-  
mortali dominoq; nostro Iesu christo & item sancto  
Spiritu cuius ueri Dei potestas ita cælo & terra est  
maxima, ut sit sola, tum autē ab ipsa matre Dei san-  
ctissima uirgine eisq; diuis omnibus, qui huius Vr-  
bis atq; templorum horum ordinum atq; Curia hu-  
ius populi generis nominis curam ac tutelā gerunt  
uellent/iuberent/agerent, ut tandem aliquando do-  
mesticis intra nos dissensionibus liberati, arma/que  
diu in nostram perniciem distrinximus, ad impiorū  
fidei nostre hostiū cladem atq; exitiū uerteremus •  
Id hodierno primum die eiusdem Dei ope atq; nu-  
mine Diuorū omniū suffragio & precibus tuo Pont •  
maxime consilio/tua auctoritate diligentia monitis  
Regum & Principum uestrorū legati pietate ac mo-  
deratione ita factū est, ut magna ex parte confectū  
esse uideatur • Quanq̄ pax Patres illa/quæ maxime  
necessaria esse existimatur, nō est in hodierno facto  
uoce & uocabulo usurpata: Sed etsi pacis nomen

abest/illius uis omnis tamen & potestas assumitur.  
Inducię enim promulgatur, si rem spectes pacis pre  
nuncię, si tempus, quinquennales, cuius temporis  
longinquitas plus nescio quid boni profecto habere  
in se putanda est: Sepe.n. pax breuior fuit: Tanti ue  
ro temporis Inducię egregios fructus diuturnę pa  
cis afferunt. Ita cum rem ipsam iam teneamus celeri  
ter, ut spes est, in ipso nomine pacis conuentura est  
omnium uoluntas & cōsensio. Quo igitur generales  
inter omnes Reges ac Principes christianos Indu  
cię in quinquennium edicantur/eaq; res optimis au  
spiciis optimis ominibus Deo auctore fiat, & ipsi ha  
bitus honos supplicationesq; triduo tota Vrbe fue  
runt, ut uidistis / & hodie hic est ab hoc orbis terrę  
parēte & capite / a sacrosancto Senatu/ ab omnium  
Principum legatis/a florentissimis ordinibus sacer  
dotum ciuiumq; conuentum in celeberrimo hoc tē  
plo in conspectu pene Dei immortalis, ut cuius bo  
nitate tantū donū accepimus, eiusdem etiā numi  
ne sanciamus. Et huic quidem saluberrimę pulcher  
rimęq; tantorum Regum & Principum conspiratio  
ni/quam sub nomine Induciarum sancta pax consti  
tutura est / immanissimi hostis Turcę infinita cupi  
ditas illiusq; admirabiles paruo tempore ad omnem  
amplitudinem progressus & periculum ab eo immi  
nens atq; propinquum christianę reipu. causam pre  
buit. Qui non contentus Asia prouincia/quam e cor  
pore christiani Imperii primam auulsit, eamq; spur

270

cissimis suis ritibus & moribus inquinavit, Non contentus Græcia/quam errore quodam a nobis dissentientem repentino bello oppressit. Non contentus illyrico cuius maximam partem occupavit, reliquum quod superest omni clade belli & crebris excursionibus sepe est populatus. Nuper etiam ac plane paulo ante tanquam cupidus athleta uerum certamen meditatus, quo se interea exercitatione faceret robustiorē, Ad Syriam usque excucurrit & Aegyptum easque opulentissimas prouincias duobus preliis uictor sub imperium & ditionem suam redegit. Sophique Rege persarum aliquot certaminibus repulso atque deterrito nihil iam deinde esse putauit, quod furori suo obsistere impetum frenare posse uideretur. Itaque non uictoriam illam finem belli, sed illud bellum maioris & grauioris contra nos certaminis tanquam preludium quoddam fuisse putat. Ad quod nunc se apparat tanta diligentia tanta instructione rerum omnium, quæ ad maximum & grauissimum bellum sint idoneæ, ut aut sanguis noster & libertas illi danda/aut hoc remedium salutaris inter nos concordie fuerit adhibendum. Nam tertium quidem nihil fuit/ nisi forte cum eo hoste rem esse existimamus/quo cum aut pace aut pactione aliqua concordie aut iusto fœdere & æquo nobis conuenire posse arbitremur. Qui cum ab eorum, quos nuper deuicit superstitione non abhorreret/essetque cum eis & multarum legum & uetustissimorum fœderum societate coniunctus, nihilominus tamen uictoria

iam parata armisq; ab aduersariis positis infinitam  
uim sanguinis ex dedititiis exhausit, plurimisq; fide  
data/fore eos apud se tuto/ cum eo pignore inducti  
multi accessissent; omnes cōtinuo ad suppliciū rapi  
iussit; cum hoc ulla conuentio rata esse potest atq; fir  
ma/qui fidem suam porrigat ad occasionē perfidiæ?  
Qui quacunq; peruadit nobilitatē omnem uult ex  
tinctam/ uirtutem perditam / sanguinem porro no  
strum ita exorbere auide & profundere exoptat/ qua  
si uideatur hoc sanguine sanguinem illum ablutu  
rus/quo se parenti prius suo morte ablata ex frater  
nis cædibus respergit. Nā si auaritia aut cupiditate  
imperandi contra nos ferretur / hanc eius uel acerr  
mam sitim satiare potuisset oriens/explere Asia/seda  
re Europa. Sed nimirum ille ex nostris cladibus nō  
minus ludum crudelitati suæ/q̄ pastū cupiditati que  
rit. Atq; hunc hostem uel immanem potius feram &  
truculentā tot sæculis perpeffa christiana resp. quas  
non pertulit calamitates? quibus nō contumeliis af  
fecta fuit? Quot mortales/mortales dico/quot inte  
gri populi proditi miseri & omnium destituti auxi  
lio/qui tamen ex nostro genere ex nostra cognatione  
essent/aut acerbissimam mortem oppetere / aut Deo  
uero repudiato & reiecto turpissimam seruitutem su  
bire sunt coacti? Quot Vrbes captæ / uastatæ/infla  
matæ? Quantæ aut extinctæ aut oppressæ nationes?  
Quot regna erepta? q̄ multæ inustæ christiano gene  
ri ignominia & notæ? Quodq; & miremur amplius

271.

& doleam⁹. Tātam ne in tot acerbissimis iniuriis nō  
stroꝝ Principū patiētīā bone Deus? tantam malorū  
omnium tolerationem? tantam in accipiendis contu-  
meliis animorum dissolutionem? Quod non euenit  
quidē metu aut ignauia. Nec q̄ se impares uiribus  
esse hosti arbitrarentur. Semper. n. / si usq̄ ulla fuit  
bellandi fortitudo & rei militaris gloria / ea christia-  
ni maxime generis & fuit & est propria. Sed Deus  
Deus inq̄ cū peccatis nostris grauius esset infensus /  
ab omnib⁹ uoluit intelligi in ip̄ius manu esse & per-  
niciem nostram & salutem. Itaq; nobis a salutis pro-  
pria cogitatione auersis hosti etiam suo liberiores fu-  
rendi habenas indulsit. Hanc unam causam, si uere  
rem expendere uoluerimus illius secundarum fortu-  
narum nec aliam ullam fuisse reperiemus, fœlicem  
quādam temeritatem uidelicet Dei iudicio permis-  
sam hominis fortasse uigilantis & uafri non tamen  
magnanimi neq; prudentis. Quid. n. illi cū uirtute  
aut cū prudētia? uirtus sibi ipsa p̄cipue cōfidit. Hic  
alienis uitiis & erroribus pro sua uirtute usus est:  
Virtus & repugnantes aperte uincere letatur & con-  
seruare cedētes: hic cum in pugnando insidiosus &  
fallax: tum nusq̄ minus est q̄ in ipso prelio crudelis:  
uirtus ex uictoria laudē / hic nihil unq̄ appetiuit ni-  
si predam: Prudentiam autē consilii / quam in eo esse  
statuimus? qui ita imperium regat, si illud imperiū  
potius q̄ superbum & crudelem appellabimus domi-  
natum / ut eum multo grauius ciues metuant q̄ ho-

tes/capitaliore illum odio prosequantur/qui eius di-  
tioni subsunt/que qui arma contra eum ferunt/ neque iniuria:  
strages enim nobilitatis maximas: bonorum direptiones  
facit impudentissimas, ita orbatis nationibus om-  
ni dignitate reliquos in seruorum numero ac loco ha-  
bet: hæc qui perpetiuntur miseri: qui pertimescunt  
anxii/fortes uero/quos nos esse addecet ad ueri Dei  
cultum & ad dignitatem natos/qui aut tantum dede-  
cus uirtute propulsare parati sunt: aut si id minus li-  
ceat/mortem preoptant que illiusmodi seruitute. Sed  
quod institueramus dicere/hactenus illi/ ut fureret/  
ut in nostris malis damnisque debaccharetur, permi-  
sit Deus: Non tamen gentem delectam a se se & ad hæ-  
reditatem patriæ cœlestis per filium suum uocatam  
captam penitus uoluit esse & extinctam. Sed in ipso  
pene extremo rerum omnium discrimine nobis ad eius  
opem atque auxilium confugientibus ipsius iusta se-  
ueritas ad solitam misericordiam deflexa est. Qui cum  
diuina illa mente prospiceret unicum prope remedium  
supremis rebus esse in conueniendo populos in  
unum & Reges ut seruiant domino. Primum opti-  
mum hunc & sapientissimum Pontificem noctes &  
dies nihil aliud cogitatem nihil laborantem nisi de  
pace & de concordia communi ad iam diu exorsum  
opus conficiendum adiuuit. Deinde christianos Re-  
ges ac Principes/quibus ipsemet illum honorem il-  
lam dignitatem tribuisset / discussa priuatarum cali-  
gine simultatum / ut uerum decus ueram honestatem

272

ueram laudem attenderent: ad munus eorum digni-  
tati debitum & ad pristinam animi magnitudinē  
reuocauit/ Ipso porro eo tempore/ quo si in longiorē  
diē dilata fuisset illius clementia ultimus casus uni-  
uersæ calamitatis christianæ reip. fuerit subeundus  
cum hostis nobis imparatis/ ut persuadebatur ipse/  
nec id quidē falso/ maximos iam comparasset exer-  
citus/ nauibus tota maria constrasset/ immanem suā  
crudelitatem cum infinita cupiditate contra nos in-  
tenderet. Italiam non carpere paulatim, ut quondā  
maiores sui tentauerunt: Sed uniuersam belli flucti-  
bus obruere cogitasset. Ad eamq; oppugnandā clas-  
sibus pro machinis Græcia atq; Illyrico pro aggere  
se usurum arbitraretur. Cui instāti & iam iamq; im-  
minentis periculo ita opportune occursum est/ ut cū  
ipsa res statum atq; incolumitatem totius christia-  
næ reip. contineat: Tum uero temporis opportuni-  
tas diuini prouidentiam consilii ostendat. Sane nul-  
lum non beneficium a Deo est: Sed quo hoc maius  
& illustrius sit, grauissimi periculi proximus facit  
metus: tanto scilicet, quāto gratius est liberari sum-  
mo malo q̄ secundis rebus augeri. Quam ob rē/ quæ  
paulo ante uehementer extimescebamus fugam exi-  
lium/seruitutem/mortem: Quanq̄ hanc quidem in  
illo abominabili/ quem Deus auertat, casu cætero-  
rum malorum remedium arbitrabamur / ab eo  
presertim hoste/a quo uictore, si cruciatus & lacera-  
tiones absint / mors in beneficii loco numeretur.

Hæc iam timere omnia desinamus: Quæ uero nobis  
iucunda atq; exoptata sunt salus / libertas / religio/  
spes & cōseruandæ & ampliandę dignitatis: ea sunt  
cuncta hodierno hoc facto atq; consilio huiusmodi  
Induciarum consensione omnibus constituta. Pro  
quo immortalis & uere diuino beneficio Patres ingē  
tes primū gratias Deo nostro agere / deinde christia  
nis principibus habere maximas debemus / q̄ suas  
uoluntates & studia in communem salutem pollici  
ti sunt / q̄ fidem ac uirtutem præstare sunt parati.  
Ac huius quidē sancti salutarisq; consilii actio om  
nis & tractatio ab hoc optimo clementissimoq; Pō  
tifice / & ab initio profecta est & ad hunc exitum p̄  
uenit. Cuius officii tanto illius honori debiti / ea  
rumq; quas cum eo iunctas esse / necesse est uirtutū /  
aliorum sit predicatio: meum erit testimoniū: inter  
fui enim & cognoui / & pro ea fide qua illi mea ser  
uitus ac uita deuota est / opera / studio / diligētia quo  
ad potui illius mādata excepi. Quas ille curas / quos  
anīmi labores / quantas & q̄ uarias suscepit sollicitu  
dines: ut suum dilectum gregem bonus pastor inco  
lumen cōseruaret: omnis eius uoluntas / omnis cogi  
tatio / tota mens pacem / amicitiam / cōcordiamq; spe  
ctauit: hæc habuit proposita: in his semper perstitit:  
itaq; affuit recte cogitanti Deus. Sacer iste Senatus  
Principis sui sanctissimi cōsiliis nec cura nec studio  
nec auctoritate defuit. Res bona ex parte confecta  
est: Principes optemperarunt. Quorum primus di

273

gnitate/ uirtute nulli inferior Imperator Cæsar Ma-  
ximilianus Augustus & sua sponte & eiusdem Pon-  
tificis hortatibus incitatus non modo in optimam  
sententiã discessit ipse & sua amplitudine dignã: sed  
ultra etiã ratiões totius belli gerēdi & sibi & omni-  
bus conscribendas curauit: tanta prudentia tantoq;  
studio: ut facile appareat in summo Imperatore  
summi quoq; Ducis & animum & consilium inesse.  
Pacem ait se uelle/ sin id sit spissius/ Inducias sex an-  
norum omnino constitui oportere. Quid ita tã mul-  
ti temporis? quia inquit triennium bello dandum  
est. Reliqui tres anni ad quietem domi necessariã  
uictori exercitui sunt tribuendi ne externos labores  
statim domestica mala excipiant: maiorem hic ne-  
pietatem pre se fert an sapientiam? Idem semet itu-  
rum in expeditionem pollicetur, Quis dubitare uel  
minimum de uictoria queat tanto Imperatore rei  
militaris scientissimo belli Duce? Extat certe & emi-  
net, quod mandatum monumentis est, nulli magis  
conuenire reip. curam q̄ Cæsari. Eadē & animi uir-  
tute & consilii sentētia christianissimus Gallix rex  
Franciscus pacem se desiderare generalem ait. Et ta-  
men quecuq; erit proposita ratio concordie siue p-  
fœdus siue per Inducias in eam se se summo studio  
iturum. Idq; sine fraude inquit sine dolo malo/ ut ui-  
deamur oculis cernere animum illum excelsum ac  
magnum/ si quid priuatim mordeat condonantem  
hoc Deo & reip. christianæ que tanto maior uirtus

est, quanto is/qui ea moderatione utitur/opibus & potentia est instructior. Idem de hoc bello ita sentit se nihil unquam ardentius concupiuisse/ nec uero nunc cupere/quam ut in saeuissimos fidei hostes exercitum ducere & cum eis decertare pro Imperio & dignitate recuperanda liceat. Idque ipsa re affirmat aliquando se probaturum. O eximia animi magnitudinem: & iure quidem hoc cupis Francisce. Tu enim ad imperandum natus es/Illa Barbaria ad seruiendum. Tua est nobilitatis propagatio/quam illi totis radicibus extirpant. Tua fidei propugnatio/quam illi oppugnant, Cuius etiam tutelam ac defensionem & isto tuo cognomine preclarissimo suscipere teneris: & diuino recente beneficio admoneris: Quid enim filio nunc tibi a Deo dato quod multis antea Regibus Galliae non contigit;tibi prescriptum putas esse? nisi iccirco fuisse ab eo tuis priuatis rationibus consultum: ut tu publicis nunc consulere liberius possis. Erit ergo in hoc maximo & prestantissimo Rege summa spes rei bene gerendae constituta. Quid Carolo Hispaniarum Regi catholico/que par laus inuenietur? qui in ea quam scimus adolescentia & aetatis etiam nunc uiridibus annis constitutus maturos tamen iam fructus admirabilis cuiusdam uirtutis fert: Pacem aut Inducias probat communes: addit consilia de bello/de militum genere/de itineribus. Quodque ab illa aetate nec postulandum fuerat/nec expectandum. Semet offert ipsum opesque omnes suas se Duce in sanctam expeditionem

274  
pollicetur. Quo q; rē agi intelligas / classē iam nūc  
parare se se atq; adornare affirmat bene magnā / quæ  
populatis prius Africæ litoribus confestim ad pri-  
mum signum Italiæ accurrat subsidio. In hoc Rege  
clarissimo eodemq; potentissimo, cum tātum uirtus  
iam antegressa sit ætatem; non ne sperandum est ip-  
sius maiorum prestantissimas uirtutes / uelut transla-  
tæ plantæ solent / ad maiorem in eo amplitudinē ce-  
lerius prouēturas? Nam Henricum inuictissimum  
Angliæ Regem licet Regionibus extremum rerum  
natura fecerit, in omni tamen regia excellentiq; uir-  
tute inter Principes cōnumerandum ducimus: Qui  
cum ad omnem rationem & conuentionem genera-  
lis concordia paratum se dicat, Tum adiungit se se  
quā ab omnibus his periculis sit ipse semotior / ta-  
men detrimento reip. christianæ magis commoueri  
q̄ suo. Itaq; se se offert & omnis opes suas, quæ quæ sint  
maximæ, effecit tamen ipse pietate & magnitudine  
animi: ut nō copiis esset / q̄ uirtutis laude prestātor.  
Igitur hoc quoq; firmissimo fortissimoq; p̄sidio chri-  
stiana resp. munita est. Quid Emanuelem Regem  
illustrissimum Lusitanorum: Qui huius belli nō no-  
uam neq; nunc primum susceptam affert uoluntatē.  
Sed antea sepe omni sua auctoritate cōtendit, ut ad  
hunc finem communis pax cōstitueretur. Cuius de  
uirtute ac in Deum pietate quod maius testimoniū  
quærimus, q̄ quod rerum gerendarum studio cum  
flagraret / alium orbē terrarum inuestigare maluit.

Vbi suæ uirtutis adipisceretur gloriam quæ eam ex so-  
cialibus controuersis comparare. Transfer nunc a-  
nimum in diuersam partem & Ludouicum Panno-  
niæ/Sigismundum Poloniae Reges clarissimos con-  
templare. quorum in altero lucet indoles quidē uir-  
tutis egregia; Sed ætas nondum apta rebus gerendis.  
Sigismundi autem tantæ res bello atq; armis gestæ  
extiterunt/ut cum ex illis regionibus Ducem expe-  
ditioni quæramus nec animi magnitudine prestan-  
torem/nec consilio prudentiorem quenq; nec euen-  
tis feliciorē desiderare possimus. Est & Daciae Rex  
Christiernus / cuius pietas erga Deū & in hanc san-  
ctam expeditionem uolūtas pluribus sepe rebus est  
testata & cognita. Et Iacobus Scotie/ qui quæque puer est/  
tamen maiorum suorum in hoc sanctissimum bellū  
studia creditur imitaturus. Atq; hi Reges omnes ta-  
les atq; tanti. in hac consensione Induciarum desi-  
derio pacis susceptione huius belli & animo & cupi-  
ditate sunt toti: quorū animi ac uoluntatum tum ex  
eorū litteris clara testimonia tū uiui testes legati gra-  
uissimi & prudentissimi uiri/ quorum ora presentium  
assentiētiumq; cernimus/ fidem certam omnibus fa-  
ciunt. Adde huc Heluetiorum fortissimam manū:  
inuictum robur/mirabilem constantiam: Quæ gens  
tanto flagrat huius belli ardore / ut iam nūc paratos  
teneat ad hunc usum milites atq; descriptos. Adiun-  
ge cæteros & in orbe terrarū & in Italia Duces / Prin-  
cipes Populos/ & eos presertim/ qui mari & terra bel

275

lare cum Turcis consueuerūt: Qui nullo pacto sunt  
communi studio & saluti defuturi. Quorum nunc  
quidem omnium ad huius maximi & pulcherrimi  
facinoris laudem conspirantem concordiam: ubi ille  
audiet omni scelere & immanitate peditus Tyran-  
nus/ quonam modo conturbabitur? cadet animo/ lan-  
guescet studiis/ totis artibus contremiscet, & ut pu-  
deat eum referre pedem ac regredi: insistet certe: At  
nos progrediemur. In quo conflictu quid tandem ti-  
bi ad spem erit propositum o Turca? quibus rationi-  
bus confides? innumerabili ne multitudini militū?  
At nostri parua sepe manu ingentes copias fundere  
didicerunt: An tuorum uirtuti? quasi uero non iam  
bis aut etiam tertio periculum factum sit. Quo qui-  
dem tempore si maiores nostri non tam semitam si-  
bi facere ad Hierusalem q̄ Asiam apprehendere uo-  
luissent, pedem nunc de tuo/ ubi insisteres non habe-  
res. An uero diuinū tibi auxilium speras affuturū?  
O scelerate & perditē: Tu Deum uerum oppugnas/  
Deū insequeris / & ab eo tibi opē potius q̄ suppliciū  
debitum expectas? quin tu te/ rem/ ut est fatere & cō-  
cede. Nostræ intra nos dissensiones/ quas semper es  
speculatus/ locum tibi predæ & direptioni patefere-  
runt. Cæci cæci inq̄ antehac fuimus / nec satis inspe-  
ximus quid ageretur/ nunc disiecta est caligo: tene-  
bræ depulsæ sunt: diluxit/ patet/ ueri honoris splen-  
dor / uera species obiecta est oculis. Quapropter tu  
Deus optime maxime, qui ex illis altissimis templis

hæc omnia contemplaris & gubernas / Da tu sup-  
plices quesumus populo tuo / quem condidisti: quẽ  
a nominis tui cognitione quondam auersum per fi-  
lii tui mortem & sanguinem in uitam reuocasti: cui  
nunc tantis periculis exposito non solum salutis ui-  
am: sed etiam spem laudis ostendis / ut horum ipsorũ  
Regum Principumq; uirtute / quorum fidei & uigi-  
lantia per te commẽdatus & concreditus fuit: in pri-  
stinam possessionem ueteris dignitatis & imperii re-  
stitutus te colere unum / te uenerari / in omni regione  
oraq; terrarum libere possit + Quorum autem ductu  
imperio auspiciis hoc tantum in christiano genere  
beneficium collocabitur: ut hi post beatam demum  
actam diu inter nos uitam partamq; celebritatẽ ad  
posterorũ memoriã & laudis suã sempiternã curru  
aurato & quadriugis albis cuncto cœlesti comitante  
exercitu in cœlum deportentur +

FINIS.